


Oa 93.

Jahresbericht

über

das Königliche Gymnasium zu Marienwerder
von Michael 1852 bis Michael 1853.



Womit

zur öffentlichen Prüfung aller Klassen der Anstalt
Donnerstag den 13ten Oktober 1853

ergebenst einladet

der Direktor

Dr. Aug. Lehmann.




Vorausgeschickt ist eine Abhandlung des Oberlehrer Dr. Schröder:
„De Romanis moribus palliatae fabulae immixtis dissertatio tertia.“

Marienwerder, 1853.

Gedruckt bei Friedrich August Hartel.






do dnia 30 kwietnia

zad b

KSIĘŻNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU



AB 1697

De Romanis moribus

palliatae fabulae immixtis

dissertatio tertia

scripsit

Dr. G. A. Schroeder.

De Römische
Münzen

et Romanis Es Fundt bat illa q.

alioz citatocib

sequens

rebusq; &c. ad. 10

—ος ανειλητική συνεδρία γίγαντε τη μορφοποίηση μεταξύ ανθρώπων που διατάσσεται στην ανθρώπινη φύση της ανθρωπότητας. Στην περιοχή της Αίγαλης, οι ανθρώποι που ζουν στην περιοχή είναι οι μόνοι που έχουν την δυνατότητα να αντιταποντούν στην ανθρώπινη φύση της ανθρωπότητας. Οι ανθρώποι που ζουν στην περιοχή της Αίγαλης είναι οι μόνοι που έχουν την δυνατότητα να αντιταποντούν στην ανθρώπινη φύση της ανθρωπότητας. Οι ανθρώποι που ζουν στην περιοχή της Αίγαλης είναι οι μόνοι που έχουν την δυνατότητα να αντιταποντούν στην ανθρώπινη φύση της ανθρωπότητας.

Summa superiorum disputationum haec erat, ut, quam rationem palliatarum scriptores in Graecis comoediis de integro faciendis inissent, P. Terentio duce exponeremus, quumque complura vestigia Romani moris ab illo summo artifice Graecis argumentis illati deprehendissemus, postremo etiam eum locum attigeramus, qui in linguae utriusque diversitate positus ipsis verbis Latinis spectantium animos Athenis, ubi scena esse vulgo prohibetur, Romam et ad domesticam vitam reduxisse videretur. Ad defendendum igitur Terentium locutiones a liberis tollendis, a clientela, patronis, advocatisque ductas explicare et Latinas esse illas quidem, nec tamen a Graeco more et ab Attica comoedia alienas ostendere instituimus. Ex eodem genere est Andr. I. 1, 101, quo loco quum senex se narret cum filio funus secutum esse, censeat quispiam (uti fecit Ruhnkenius in Dictatt. ad h. l.) Atheniensium mores turbatos esse, verbum sequendi iusto curiosius premens. Athenis enim ex Solonis instituto, ducentibus pompam viris, non sequentibus, eos, qui vita perfuncti essent, effterri solitos. Demosthen. Tom. IV. pag. 175. Tauchn. Macartat. *Νόμος βαδίζειν τοὺς ἀνδρὸς πρόσθεν, ὅταν ἐνφέρωνται, τὰς δὲ γυναικας ὅπισθεν.* At hoc isto loco non agitur, neque illud sequi modo pone aliquem ingredi seu proxime sequi significat, verum etiam comitari seu prosequi; funus sequi autem in funebri pompa solemniter dictum est, quae inde appellabantur **exsequiae**. Itaque Terentius, si in exsequiarum descriptione Solonis legem non commemorasse arguitur, quamquam inepta est exprobratio, tamen ferendum est; sin alienum morem in Atticam fabulam infersisse putatur, ignoratio est consuetudinis Latinae. Porro Phorm. I. 2, 100 Donatus dubitat, portiores, qui in Piraeo dicuntur senis epistolam accepisse, Terentius Attico more dixerit, an Romano. Quasi vero nesciamus, publicanos in Piraeo ab omnibus mercibus aut peregre venientibus aut devehendis quinquagesimam exegisse. Qui quum omnes naves perscrutarentur, factum esse convenienter Attico mori finxit Terentius, ut etiam epistola senis primum in portitorum manus veniret, quod eodem modo evenisse legimus apud Plautum (Trinumm. III. 3, 65). Longe difficilior ad intelligendum locus est Phorm. I. 1, 15, ubi etsi facile inducor ad credendum, initianum puerum a plurimis spectatoribus Romanis ad Edusam sive Eduliam, Potinam seu Poticam, Cubam, infantium divos, de quibus Varrone auctore cogitaverunt interpretes, referri potuisse, tamen Apollodorus, ex quo expressa Phormio est, ut spondet Donatus, Samothraciorum sacrorum initiationem dixerat, quam quidem Terentius, ne nova videtur atque inaudita commemorare apud Attici moris indoctos spectatorum obscuravit et posuit in ambiguo, id quod fecit sine controversia multis etiam aliis locis. Ceterum nisi

obstaret Donati testimonium, ego istam initiationem a Terentio subobscurae indicatam potius ad ἀνθρώπια, quae ad consecrandos pueros Ἐστία κονδυλόφω Athenis celebrata esse notum est, vel ad θεοὺς γενεθλίους referrem, vel ad κονδυλάτην, vel ad quaelibet sacra Atheniensibus propiora, quam ad Samothracia mysteria. Nam pueros more Atheniensium in Samothracum insula initiatos esse, aliunde non compertum habemus, sed eos constat religiosos homines illuc migrasse, qui, quo munitiores essent quum ad omnes vitae casus, tum ad maris subeunda pericula, tutelae se potentium deorum vellent commendare (Jacobs ad Callimach. Epigr. XXVI.) Hinc fuerunt, qui non acquiescentes in Gutberlethi auctoritate (De Cabiris pag. 63.) illum Terentii locum ad Eleusinia mysteria referendum esse putarent (Barthelem. Anachars. II, cap. 26; M. G. Herrmann, Feste von Hellas I, pag. 477 et 425), falso sine dubio et imperite, quamquam ne Lobeckio quidem (Aglaopham. II, pag. 1290.) contigit, ut rem obscurissimam antiquioris auctoris, quam Donatus est, et locupletioris testimonio illustraret. Ad Terentium ut revertatur oratio, Phorm. IV. 4, 22 sqq. ante nuptias videmus omina observari, communi antiquitatis superstitione (Hesiod. Opp. 746). Harioli vero et haruspicis nomina commonefacere spectatores videantur haruspicinae apud Romanos disciplinae (Cic. de divinat. I. 16 (28)). Non repugno. At nos tamen illius moris Graeci non imperiti, nihil impedire, quominus ad ἐξηγητάς et μάρτεις illa referamus, quum praesertim privatorum hominum res agatur. Item ad Phorm. I. 1, 9. Donatus de demenso narrat, quaternos modios frumenti servos Romanos in mensem accipere consuesse. Quod si aliunde discere non potuissemus (Seneca certe Epist. 80 quinque modiorum menstruum fuisse refert), adnotatio illa esset ceteroquin utilis, sed ad Terentium interpretandum factam probare non possum, propterea quod, quidquid accipiebant Atheniensium servi in singulos menses aut dies cibi peculiive, nihil aliud est demensum, nisi ἀπομέτρημα, in qua voce de certo modiorum numero et de Romana mensura non cogitandum est. Pari modo neque centurio (Eunuch. IV. 7, 6), sive eum ταξιαρχον, sive λοχαγόν vertis exemplo veterum (Polyb. VI. 24), neque succenturiandi vocabulum (Phorm. I. 4, 53; Caecil. fragm. pag. 148 ed. Both.) figurate positum offensioni erit; apte enim ad illum locum succenturiati habebuntur vel οἱ ἐπιτεταγμένοι, vel quini illi, qui in quaque ἐπατονταρχίᾳ exercitus Attici extra ordinem pro subsidio collocati erant, ἐπτάκτοι (cf. Suidas s. v.), nisi quod hoc differre videntur succenturiati, quod hi omnes erant milites, ἐπτάκτοι ad certum usum et ad suum quisque negotium reservabantur. In Andr. I. 1, 16 pariter ac Mostellar. III. 2, 26 verbum habendi a gladiatoriis ad amorem traductum videmus; in Phorm. V. 7, 71 legimus gladiatoriū animū. Verum si hodie quem hominem videamus, qui etiam periturus alios vulneret (nam ita commentatur Euphranius), num dubitemus eum dicere gladiatoriū animo illos petere? tametsi nostrorum hominum elegantia crudelia ista spectacula extirpavit. Quid igitur est? Non similia fere mihi dicenda essent, si cetera vellem percurrere eorum, quae secunda dissertatione ex spectatorum Romanorum persona quasi in vituperationis parte ponebam? Est quidem prorsus Romanum furciferi (Eunuch. V. 5, 19; Andr. III. 5, 12) ut vis ita nomen (Plutarch. Quaest. Rom. 70), itemque ex Romanorum germano usu desumptum illud In ius ambula (Phorm. V. 7, 43) atque Latina consuetudine, non Atheniensium sacratum; erant vero etiam spectatores non Attici, sed Romani. Quid censes? in palliata comoedia, quo magis Graeca videretur, num dicendum fuisse Jubebo te citari? (nam καλοῦμαι

dicunt Graeci. Aristoph. Nubb. 1220), an Ponam numos (*ὢντω πονταρεῖα* ibid. 1254)? nam Promittam vadimonium, vel Sacramento te provocabo forent ea item nimis Latine dicta. Gerrae. Qui ergo delicate nolunt admitti in palliatam comoediam solemnes has formulas et proprias et Latinas, poscunt profecto, ut Graeca verba restituantur, vel barbara substituantur, quae diligentia, obscura illa et operosa in re ludicra et comoedia ad exhilarandos animos edita, caveant, ne maximam spectantibus molestiam exhibere videatur.

Itaque, ut redeamus, unde digressi sumus, si Terentium legem et quasi normam palliatae comoediae existimare licet, (ut licet,) appareat, poetas Romanos in argumenti inventione et colloquentium personarum specie et habitu fere Graecorum poetarum vestigia Graecosque mores seculos esse, sed ita, ut et in singulis partibus et in totis personis exemplaria Graeca desererent, ceteris rebus ita non abstinuisse Romanis moribus, ut illud genus ludicri tantundem videretur spectatoribus Graecum, quantum hi essent ipsi Graecae vitae et consuetudinis gnari, summaque illos in Atticis fabulis de integro faciendo libertate usos et verbis et sententiis pro ipsorum natura et ingenio atque pro eo, ac spectatores essent in Graecorum morum cognitione versati, se ad suos homines composuisse vimque expressisse Graecorum poetarum, non verba (Cic. Acad. I. 10), nec propter istam Graecorum morum cum Romanis commixtionem et in alienam provinciam evagandi licentiam, quippe quae ipsa ferax esset salis et dicacitatis, in cuiusquam aut spectatorum aut veterum criticorum reprehensionem incurrisse. Hinc efficitur, ut minime necesse fuerit, converti palliatas ex Graeco, et potuisse Romanos poetas non aliunde expressas et a se ipsis inventas in scenam producere. Quod vero nemo Romanorum, quod certo constet, palliatam ad Graecorum moralis comoediae similitudinem a se ipso fictam edidit (nisi forte Virginium Romanum, qui fuit Traiani aetate, id fecisse putabimus. Plin. Epistt. VI. 21, § 5), sed illud factum arbitror partim quia poetae suo diffisi ingenio salius ducebant iam probata in lucem emittere, partim quia illum morem a Livio, Naevio, Ennio his temporibus inductum, quum togatae nondum erant neque per reipublicae leges tuto evulgari poterant, consuetudine moti et nobilium virorum res Graecas patriis praeferentium studio obsequentes ne postea quidem deponere volebant. Nam omnino Romani, ex quo Magnam Graeciam armis devicerant Graecasque artes cognoverant, sua despicientes et nature Graeca adoptantes, ut in republica domini Graecorum, ita in omni re litteraria clientes et asseclae esse maluerunt.

Quae quum ita essent, T. Maccius Plautus illi Romanorum consuetudini parens, quo erat ingenio praeter seculi naturam singulari, non passus est in comoediis quidquam praeter personarum nomina et fabularum descriptiones sibi a Graecis poetis obtrudi, non ignorans ille, et quanta in moribus et in rebus gerendis Atheniensium et Romanorum esset dissimilitudo, et quid popularium hominum animis in pulpito et agi et dici placeret fescenninorum saturarumque nugis et Circensium spectaculorum immanitate praeparatis; quo factum est, ut, Graecis fabulis et demendo et addendo immutatis atque refictis, veteri comoediae ille et vi et granditate et amaritudine aequa ac festivitate, lepore, dulcedine propior quam novae esse videretur. „Terentius, inquit Hieronymus, Menandrum, Plautus et Caecilius veteres comedios interpretati sunt; numquid haerent in verbis, ac non decorem magis et elegantiam in translatione conservant, quam veritatem interpretationis?“ Hinc Plautus, etsi in republica aliquid posse et rebus civilibus administrandis

se immiscere noluit, et legum severitate repressus et deterritus Naevii fortuna aduersa, tamen magnis copiis fabulas ornavit atque dotavit non solum salium et facetiarum, sed etiam subtiliter et graviter dictorum, qualium nec Eupolidem, credo, nec Aristophanem puderet (velut Trinum. IV. 3, 21 sqq.; Curcul. IV. sc. 1; Pers. I. 2, 10 sqq.; Amphitr. II. 2, 17—21; ibid. 209—212; ib. prolog. 35—37; 75—80; Rudent. prolog. 14 sqq.; Trinum. II. 2, 39 sqq. etc.). Sed ut solet vel invidia vel temporum ignorantia placere sibi obtrectando, quando nobilis aliqua virtus supergressa est tritam consuetudinem, ita Plautus, qui totus suus est, non liber fuit nec antiquo nec recentiore tempore ab inconsiderato impetu eorum, qui resistentes intra Graecorum artificum praecepta suis ponderibus, non populari plausu illum metiendum esse putaverunt. Quem si qui forte in eo reprehendunt, quod Amphitruonem per novem menses agi voluit parum verisimiliter et contra Aristotelis edictum, vel quod in Captivis adolescentem uno die in Elidem a Calydone profectum et inde reversum fecit, vel quod in Curculione quatuor diebus parasitum in Cariam a Calydone ulro citroque missum induxit, aliaque id genus licenter facta, si nostra groma metiamur, non effugiam quin vitia esse concedam, minus tamen in Plautum cadere arbitror, quam in eos reiicienda esse Graecos poetas, quibus morem geri illius temporis ratio vel potius perversitas voluit, magnumque excusationis momentum Plauto paratum esse in illorum temporum ruditate, quibus vulgus spectatorum solide delectari, non erudiri se cuperet. Mirum vero et portenti simile est, quod Euanthius vel quisquis disputationem illam de tragedia et comoedia scripsit, opprobat, abstrusa complura Plautum dixisse, quae inquirenda essent ab historicis (quasi vero Euanthio spectatori fabulas dederit), vel frequentissime actores ad populum loquentes fecisse, quam quidem licentiam Euanthius ignorasse videtur et ab Aristophane sexcenties adhibitam et a criticis vel superioribus (Polluc. IV. p. 200.) comicis poetis esse concessam. Qui vero spurcitas et turpitudines Plautinas fastidiose detestantur (faciunt autem id et nunc multi, et fecerunt eorum, quos iam Libitina sacravit), videant illi, quemadmodum Aristophanem concoquant, meminerintque antiquos illud secutos videri, quod Catullus (Carm. XVI.) poetarum causam tuens iudicavit:

Castum esse decet pium poetam

Ipsum: versiculos nihil necesse est,

Qui tum denique habent salem et leporem,

Si sunt molliculi ac parum pudici —,

vel denique ad Plautum ipsum redeant extremis Bacchidibus hac de re dicentem:

Neque adeo haec faceremus, ni antehac vidissemus fieri. (Cf. Lessing Kritik über die Gefangenens des Pl. III. p. 129 sqq. Lchm.).

Quid enim placuerit Romanis spectatoribus, hinc in aperto est, quod non solum triginta vel quadraginta post Plautum annis retractata est Casina (v. prolog.), sed etiam postea eius poetae fabulae scenae honorem obtinuerunt agebanturque adeo sub Caesaribus. Ergo dimidiatum Menandrum Terentium, qui tot praestat virtutibus, ut totum ediscendum putem, Plautus tamen longo post se intervallo relinquit: habet ille tenues admodum in comoedia homines, morum autem notationes et sales satis parcos, qui aculeum relinquunt, fere nullos, et quod pura eius est et elegans oratio, ita eruditis lectoribus magis, quam spectanti populo consuluit, qui, ut testatur Quintilianus (I. 6, 45), etiamtunc in Circo et in theatro raro actoribus adstrepuit, quin gravissimos soloecismos et barba-

rismos committeret; quumque Terentii aetate optimatum urbanitas, quippe Graecarum rationum et doctrinarum cognitione imbitorum, mirum quantum ab imperitae plebis sensu et moribus distaret libidinesque et luxuria et omne genus corruptelarum et luculenta a maiorum more ac disciplina abscessio Romae gliscere coepisset, quoniam antiqui quotidianae vitae speculum comoediam esse voluerunt, mirum esse non potuit, quod vulgus spectatorum istas Terentianas et Atticas subtilitates a suae vitae genere et more remotores multo minoris fecit, quam funambulorum spectacula et gladiatorum. Ergo teres Terentius est, at Plautus plausu nobilitatus, nihil admodum curans artificis nomen, quod quidem merito illi inditum est. Sed labor longius, ad propositum revertar. Singulari igitur Plautus apud suos gratia idcirco floruisse censendus est, quod, quamcunque fabulam in theatro agendum dedit, eam non ad Thebanos (Amphitr.), Epidaurios (Curcul.), Epidamnienses (Menaechm.), Ephesios (Mil. glor.), Calydonios (Captiv. et Poenul.), Cyrenenses (Rudent.), neque denique ad Athenienses accommodavit, neque ad posterorum relegentium umbratile otium retulit, sed ad suorum hominum animos strictim revocavit et pleraque omnia, quae dixit, ita instituit et adornavit, ut Romanos homines, quales Punici belli temporibus fuerunt, non istos Graeculos in scenam commisisse, ut Romanos et Italos et laetitia perfudisse et dicteriis descriptsisse, adeoque Romam urbem et Latium et Italiam in istas regiones Graecas transtulisse scenaeque locum dedita opera transiluisse videretur. Nam nisi illa personarum et locorum nomina et quaedam res leviores, quae Graecos mores sapiunt, in fabulis inessent, veluti γυναικόσουος (Aulular. III. 5, 30), Ἀπόλλων ἀγνιεύς (Bacchid. II. 1, 3; Mercat. IV. 1, 12; Mostell. V. 1, 45), κότταβος (Trinum. IV. 4, 4), πέπλος (Mercat. I. 1, 67), Ἀφροδίσια (Poenul. I. 2, 45), ἐπίκληρος (Cistellar. I. 1, 101), δ τραγῳδοποιὸς Εὐριπίδης (Rud. I. 1, 4), Διονύσια (Pseud. I. 1, 57; Cistell. I. 1, 91; Curc. V. 2, 45), γυναικεῖον (Mostell. III. 2, 68), ἀπὸ ξυμβόλου δεῖπνον (Stich. III. 1, 28; Epid. I. 2, 22), Minervae templum ἐν τῇ ἀκροπόλει (Bacchid. IV. 8, 59), dies quintus lustricus (Truculent. II. 4, 70), Atheniensium puerorum educatio (Bacchid. III. 3, 17 — 30), Graeca numismata aliaque Graeca vocabula, ab his, inquam, si recedamus, cui, obsecro, Plauti fabulae Graecae videantur aut ex Graeco expressae? quis vel minimo puncto temporis inter spectandas legendasve fabulas extra Romam vel Italiam et in Graecis urbibus versari sibi persuadeat? Ubique enim homines vides pallio quidem indutos, sed personatam istam Graecitatem coarguunt quum tunicae Romani cultus et magnificentiae (Epid. II. 2, 45 sqq.; Pseud. II. 4, 48; Poenul. V. 5, 19 et 24; cf. ibid. V. 3, 2), tum magis etiam gentis togatae (Aulular. IV. 9, 6; Casin. II. 8, 10) sermones et mores; ubi eos alloqueris, narrant exultantes, Poenum esse profligatum (Cistellar. I. 3, 49 — 54; Poenul. III. 1, 21; Rudent. prol.); ubi introduceris in iudicia, litigant partes Romana consuetudine, adstat utrinque advocatus (Mostellar. V. 1, 10; Casin. III. 3, 5 sqq.); fit stipulatio et emptio solemni et quaestione et responsione (Bacchid. IV. 8, 40; Captiv. I. 2, 76; ibid. IV. 2, 118; Pseudol. IV. 6, 8 — 16); percurre forum, fabulabuntur homines hic de praferendis imaginibus maiorum et de ludorum in funere per forum ducto spectaculis (Amphitr. I. 1, 302; Mostellar. II. 1, 80; ibid. IV. 3, 9), illic de bonarum comoediarum nuper actarum malis actoribus nominatim (Bacchid. II. 2, 37; cf. Cistellar. Caterv. 4.); ante aedes nobilium obambulant salutatores; intras atrium absente hero, qui aut in senatu fit consilii publici particeps, aut operam dat clientibus (Asinar. V. 2, 21; Men. IV. 2, 20); salutat te atriensis, cui omnium rerum summam he-

rus credit (Asinar. II. sc. 4.), homo ille vehemens et durus in reliquam servorum familiam, dat mutuo pecuniam domini loco, vendit vinum et oleum cauponibus, utitur adeo vicarii opera; non deest promus condus, auctoritate atriensi paene par (Poenul. III. 4, 6; Pseudol. II. 2, 14), sive cellarius (Captiv. IV. 2, 115), ipse quoque opera utens sup-promi (Mil. glor. III. 2, 12); adest reliquum examen mancipiorum, vestispicorum, unctorum, auri custodum seu actorum (Asinar. II. 4, 53), flabelliferarum, sandaligerularum, cantricum, cistellatricum, nunciorum, renunciorum (Trinum. II. 1, 22), adversitorum (Mostellar. person.) lectisterniatorum (Pseudol. I. 2, 29), structorum (Menaechm. I. 1, 25); intromitteris a dotali servo (Asinar. I. 1, 72) in matronae conclave, ubi apparantur celebritates matronaliorum et Quinquatrum (Milit. glor. III. 1, 96. 97), adsunt praecantrices, coniectrices, hariolae, haruspicae, piatrices, cerariae, obstetrices, nutrices (ibid. 98 — 103), ornatrices (Mostell. I. 3, 91), ancillae, muliones, pedisequi, salutigeruli, formulae (Aulular. III. 5, 27 sq. Asinar. I. 3, 32); adsunt praeter hos assiduos mundi et cultus muliebris administros greges institorum et tabernriorum et opificum et cauponum tota atria completes et pro factis ac redditis suis quisque operibus et lenociniis pactam mercedem et mercium pretia exigentes tam magna tamque effusa, ut mulier istis vestibus induita totque ornamenti affecta quasi fundis exornata per vias incedere dicatur (Aulular. III. 5, 34 — 48; Epid. II. 2, 42). Haec et talia si quis a Graecis dicta putat, certe non ab Attico, sed ab eo Graeco profecta censeat oportet, qui Romae vel in Italia aut natus, aut diutius commoratus Romanorum vitam et studia observaverit, et linguam Latinam addidicerit, nec tamen possunt illa ab ullo eorum poetarum, quos Plautus se secutum profitetur, aut memorata aut cognita fuisse videri. At vero in formulis et in nominibus admittendis facilis fuisti, quum de Terentio disputabas. Merito istud et quia veri inveniendi studio istuc ferebar; in Plauto alia res est, qui quid spectaverit et quo properaverit, et crassiore filo comoediarnm et non semel aut raro, sed sexcenties deserendo Attico more indicavit. Itaque, ut dicam quod sentio, quae unquam possint apud Plautum, ea ex Romanorum usu, non ex Attico censeo explicari oportere, quae autem ab Atticis comicis Attico more dicta erant et a Plauto retenta, eorum bonam partem aut obscuratam aut, ut tamen Graeca in fabulis inessent, Magnae Graeciae et Siciliae moribus assimilatam videri. Nimirum dandum hoc erat et concedendum seculi moribus, ut palliatarum poetae in Graeciam, Athenas potissimum, scenam conferrent at texerentque fabulis suis quaedam Graeci moris vestigia; Plautus vero, ut probaret haec locorum nomina et peregrinos mores, tantum abfuit, ut et poetas Atticum morem religiose sectatos vituperasse et spectatores egregie ludificatus esse videatur, cum Menaechm. prolog. 7 dicat:

Atque hoc poetae faciunt in comoediis,
Omnis res gestas esse Athenis autumant,
Quo Graecum vobis illud videatur magis;
Ego nusquam dicam, nisi ubi factum dicitur.

adeoque toto Trinummo, cuius fabulae vel prologus restat, Athenae nusquam commemorantur; unus Piraeus semel legitur haud procul a fine fabulae (IV. 4, 11); item in Mostellaria praeter duo nomina Piraei et Athenarum (I, 1, 63 et V. 1, 24) velut in transcursu commemorata ne verbo quidem spectatores monentur, ubi res agatur. Quodsi voluit Plautus revera videri caveam Athenas vel in aliam urbem Graeciae transmarinae

transposuisse, illustrare debebat et distincte ostendere signa et notas locorum scena, confirmare spectantium animos a vitae consuetudine abductos aliis rebus et rationibus, quibus in Graecia fabulas agi appareret; non poterat in ipsis fabulis palliatos histriones loquentes facere ad spectatores togatos (Aulular. IV. 9, 4—9; Cistellar. I. 2, 27—29; ibid. IV. 2, 9—13; Poenul. III. 1, 47—49; IV. 2, 98—100; Stich. V. 3, init.; Truculent. I. 2, 12; II. 6, init.; Amphitr. III. 1, 7—8; ibid. III. 4, 15 et 23; Mostellar. I. 2, 10—17; ibid. I. 3, 123 sq.; ibid. III. 2, 19—21; Pseud. I. 5, 160; Mercat. I. 2, 48; ibid. II. 1, 43; Bacchid. II. 2, 36; ibid. IV. 9, 149; Menaechm. V. 3, 4—5), non prologos ita compingere, ut fere abutens ingenii acumine et captans iusto verbosius ac paene scurriliter facetias in patriis et domesticis rebus versaretur, quae quidem ratio, praeterquam quod commendantur spectatoribus fabulae, ad praeparandos magis et exhilarandos animos severitate forsitan aliqua contractos, quam ad narranda fabularum argumenta accommodata est, ut Mostellariae saltem prologum non amissum, sed nunquam factum esse a Plauto, certissimum esse videatur; non decebat denique Aristophanica parabasi uti Choragum (Curcul. IV. sc. 1.), praesertim quum is non sua tantum et a reliquae fabulae argumento aliena proferret, sed perseveraret in rei agendae tenore et perpetuitate, tum denique in urbis Romae loca descenderet nequitia decantata. At enim insunt tamen aliae in Plauti fabulis urbes et insulae Graeciae. Etiam, sed paucae et eae pleraque, quae aequo iure in togata quoque comoedia poterant commemorari, mercatura et crebro navigantium egressu celebratae (Corinthus, Alexandria, Ephesus, Ambracia, Epidaurus, Megara — Sicilia, Sardinia, Creta, Lesbus, Cyprus, Rhodus, Lemnus, Macedonia, Caria, Cnidus etc.); insunt vero etiam loci, quorum apud Athenienses, apud Cyrenenses aliosve Graecos spectatores facta mentio exilis et irrita, Romanorum demum auribus efficax est et nervosa. Nec sane a quoquam Romanorum poetarum, quos Diphilus, Philemo, Menander in suis diuinis illigaverant lepores a locorum et incolentium natura ductos, integri et illibati poterant sine offensione spectatorum Romanorum transfundi in palliatam comoediam. Fac, Atticum senem τὸν πλατειασμόν Doriensium traduxisse, sermonisve vitium aut pronunciationis Atticae facetiis exagitasse. [Theocrit. Adoniaz. 88; Aristoph. Nubb. 870:

Ἵδον „Κρέμαιο.“ ὡς ἡλίθιον ἐφθέγξατο
Καὶ τοῖσι χείλεσι διεῳδυηκόσι.]

Quid ad haec Plautus? Vide, quam lepide insectetur Praenestinorum dialectum (Trinum. III. 1, 8 tammodo; Truculent. III. 2, 23 [rabo] conia). Perstrinxerat Atticus comicus mulieres ἐν τοῖς ἐλαῖοις de mercium suarum venalium omnes ex composito rem agentes; Plautus olearios in Velabro (Captiv. III. 1, 29). Age, erat in Attica comoedia alicuius populi Graeci cavillatio ab esculentis potulentisve repetita, qualis Hermippi est apud Athenaeum (XI. c. 5. Tom. IV. pag. 193):

Εἰς τὸ Κυλικάνων βαδίζων σπληνόπεδον ἀφικόμην.
Εἴδον οὖν τὴν Ἡράκλειαν καὶ μάλιστα πόλιν.

Pro his Plautus plenius et uberior:

Militibus primum dum opus est Pistoriensibus.
Eorum sunt aliquot genera Pistoriensium.

Opus Paniceis, opus Placentinis quoque,
Opus Turdetanis, opus est Ficedulensibus. Captiv. I. 2, 57 sqq.

Similiter Curcul. III. 72 — 78:

quia enim Persas, Paphlagonas,
Sinopeas, Arabas, Caras, Cretanos, Syros,
Rhodiam atque Lyciam, Perediam et Perbibesiam,
Centauromachiam et Classiam Unomammiam,
Libyamque et oram omnem Conterebromiam,
Dimidiam partem nationum usque omnium
Subegit solus intra viginti dies.

Viden? His quidem toti theatro vel invito exutiebat cachinnum; ista Graeca ad verbum expressa exsanguia et iejuna forent. Itaque non possum iis assentiri, qui Saxum (Trinum. II. 1, 31) ad rupem Leucadiam referri volunt, quam interpretationem, licet de amore sermo sit, si accuratius rem perpenderis, vel adversari Plauti sententiae videbis: est potius Saxum Tarpeum (Liv. V. 47: de Saxo deiecit) spectantium sua cuique vita et consuetudine notum *). Item Capitolii nomen (Curcul. II. 2, 19; Trinum. I. 2, 47) etsi non in una Romana urbe usurpatum est, sed ad plurima tempa in Italia primoribus diis dicata propagatum, tamen ad Atheniensium arcem vel Epidauriorum ecquem censes audientium retulisse et a Romano Capitolio animum sevocatum habuisse, quum illa recitabantur:

Nam nunc ego si te surripuisse suspicer
Jovi coronam de capite e Capitolio,
Quod in culmine astat summo, — (cf. Menaechm. V. 5, 38.)
Incubare satius te fuerat Jovi —
Locus non praeberi potis est in Capitolio.

Postremo, etiamsi permittam istud explicandi genus et Graeca apud Plautum odo randi (absit, ut permittam), re ad calculos revocata, confitebere, maximam tamen locorum partem non posse vindicari aut ad Graeci poetae inventionem accommodari, Romanum (Poenul. V. 5, 35), portam Trigeminam (Captiv. I, 1, 22), portam Metiam (Casin. II. 6, 2; Pseudol. I. 3, 97), Comitium (Curcul. III. 33; Poenul. III. 6, 12 et III, 2, 7), Circum. (Pers. II. 2, 17; Poenul. V. 5, 12; Mil. glor. IV. 2, 1; Cornicular. fragm. 6), extra moenia Sylvani lucum (Aulular. IV. 6, 8), locum theatro vicinum, quo Fortunae templum Romae situm videtur fuisse (Aulul. I. 2, 22 sqq.), Apuliam, Umbriam (Milit.

*) Ad idem Saxum mihi Saturni hostia (Amphitr. Suppos. 2) referenda videtur, siquidem, ut auctor est Festus et Suidas s. v. Καπιτώλιον, mons Tarpeius prisco tempore Saturninus appellatus est, quumque Saturnus Romanis in inferorum deorum numero referretur (Plutarch. Quaestt. Roman. c. 11 et 34), erat sane illud convicium vili mancipio dignissimum nec absimile Acheruntis pabulo (Casin. II. 1, 12), vel morticino (Pers. II. 4, 12). Nam quae de Poenorum hostiis humanis ad illum locum explicandum animadvertisunt interpretes, dubito an hue referri posse nemini persuadeant. Ceterum ne ego quidem interpretatione mea mihi operae pretium fecisse putabo, si non saltem antiqui poetae, sed Hermolai Barbari isti omnes versus sunt, uti traditum est a Niebuhrio (Kleine histor. u. philol. Schriften I. pag. 177).

glor. III. 1, 53), Campaniam (Pseudol. I. 2, 13; Trinum. II. 4, 144), Tuscum modum (Cistellar. II. 3, 20 cf. Curcul. IV. 1, 21), Praeneste, Signiam, Frusinonem, Aletrium (Captiv. IV. 2, 102 sqq.), Sutrium (Casin. III. 1, 10), montem Massicum (Pseudol. V. 2, 10), Boium (Captiv. IV. 2, 108), Capuam (Rudent. III. 2, 17), Sarsinas (Mostellar. III. 2, 83). Huc succurre et convince, nec vero dices, „exorbitare interdum Plautum“ [Cf. Taubmann. ad Amphitr. I. 1, 3 et alibi], quippe qui nondum ingressus sit orbitam. Quodsi haec de locis disputatio nondum te adduxerit ad credendum, minime voluisse Plautum Graecum colorem Atticarum comoediarum servare ac retinere, abieco argumentandi negotio, ad deorum immortalium augusta numina te ducam, quae spero fore, ut citius te commoveant. Nam faustum in eam rem video auspicium a sinistra (Epidic. II. 2, 2; Pseudol. II. 4, 72; Asinar. II. 1, 12; Aulular. IV. 3, 1); accede manibus ad rem divinam faciendam puris et cooperto capite (Amphitr. V. 1, 42; Curcul. III. 19), praeterquam ubi ad Saturni et Herculis et Honoris peruentum erit, quos deos Graeco ritu salutare licebit (Plutarch. Quaestt. Rom. 11 et 13; Liv. I. 7; Varro apud Macrob. Saturnal. III, c. 6; Dionys. Hal. I, 39); adi primum Martem Sylvanum, cui debent Romani submotam campis irruptionem ferarum (Truculent. III. 1, 11), Martisque coniugem Nerienen (Truc. II, 6, 34 cf. Licin. Imbr. fragm. p. 38 Both.) atque bellorum praesidem Bellonam (Bacchid. IV. 8, 6); Lavernam vero (Aulular. III. 2, 31; Cornicular. 8; Frivolar. 4.) praetereamus, nam furum est et grassatorum; at adspice Jovem prodigialem, cui Romani salsa mole et ture comprecantur averruncandi somniorum ominis (Amphitr. II. 2, 107); hinc accedamus ad Herculis aram maximam in foro boario antiquissimis temporibus conditam atque dicatam, ubi Potitii (Bacchid. I. 2, 15) et Pinarii coenam sacrificalem apparant, decimam partem fortunarum suarum pollucentibus Romanis, ut Herculeam partem pro decima dicere consueverint (Stich. I. 3, 81; ibid. II. 2, 62; Trucul. II. 7, 11; Bacchid. IV. 4, 15; Mostell. IV. 2, 68); deinde adorandus erit Sylvanus (Aulular. IV. 6, 8), neque negligemus eas deas, quas ex allegoria natas Romani in publicum cultum receperunt, Virtutem (Bacchid. IV. 8, 52 cf. Amphitr. prolog. 42), cuius aedes ipsis Plautinis temporibus ex Marcelli voto (Liv. XXVII, 25; Valer. Max. I. 1, 8) aedificata est, Fidem (Aulular. IV. 2, 1, 4, 7, 10, 14; ib. IV, 6, 10), Spem (Cistell. IV. 1, 18 cf. Pseudol. II. 4, 19), deam perantiquo tempore templo mactatam (Liv. II. 51), et cui deae iam Servius Tullius (Plutarch. Fortun. Rom. c. 10) templum condidisse fertur, Fortunam Obsequentem (Asinar. III. 3, 126), denique Salutem (Cistell. IV. 2, 76), quam mere Romanam deam esse, non Graecam, iam secundae dissertationis pag. 4 demonstratum est. Hos igitur deos deasque pie casteque veneratus dextroversum corpus circumagito, ut iuberis Curcul. I. 1, 70.

Hinc si ad publica instituta et magistratuum munia accedimus, mirari non possumus, interpretum etiam liberaliorem exstisset commentationem Graeca in Plautum importantium, quae mihi quidem videntur prorsus Romana; sed per rei naturam illud ab iis fieri potuit commodius, quia, quidquid publice Romae actum est, idem apud simile genus magistratuum agebatur etiam Athenis. Itaque quum animadvertisserint, Romanos scriptores, qui res Graeciae Latino sermone referrent, a domesticis institutis et magistratibus nomina sumpsisse, hoc freti Tresviro (Aulular. III. 2, 2; Amphitr. I. 1, 3; Asinar. I. 2, 5; Pers. I. 2, 20) prorsus eosdem, quos Athenis *τοὺς ἐνδέκα*, esse dixerunt, nihil pensi habentes illi, et numerum hominum variare, et Amphitruonem certe non Athenis, sed

Thebis agi, et cum Triumviris seu nocturnis seu capitalibus coniungi lorarios et ministros octonos lictores (Amphitr. I. 1, 7; Asinar. III. 2, 18 et 28), nisi forte dicent, hos esse τοὺς ἐνδεκα παραστάτας; Magistrum Curiae (Aulular. I. 2, 29; ibid. II. 2, 2) esse τριτυάρχην, quo loco, ut nihil aliud, Curiae certe non τοπιύν, sed φραστρίαν respondere dico; Aediles (Stich. II. 2, 29; Rudent. II. 3, 42) ἀγορανόμους, ubi videant velim, eosdem Aediles se, quando de ludis et comoediis sermo sit (Poenul. V. 2, 52; Pers. I. 3, 80), oportere Choregum (χορηγόν, quod est Atticum vocabulum, non Choragus Romanus) vet adeo totam φυλήν interpretari [Cf. Libanii argum. Demosth. in Midiam.] Si isto modo pergent, Praetor, quem sexcenties legis in Plauti fabulis, ut locos nominare supersedeam, erit unus ex novem Αρχόντων numero; Quaestor, ad quem praedam deferunt dividendam vendendamve (Bacchid. IV. 9, 152; Captiv. I. 2, 2; ibid. II. 3, 93) esse στρατηγός, sed ubi praeda diis sacrata vendendi causa tradita legitur Quaestoribus, hi esse οἱ ταμίαι τῶν ἱερῶν χοημάτων dicentur; denique Dictator (Pseudol. I. 5, 2; Trinum. III. 2, 69) esse στρατηγός, vel προστάτης, vel δημαγωγός, vel, si diis placet, ipse Pericles. Graeci id quidem posterioribus temporibus, senescente iam Graeca lingua et praeponderante Latina, fecerunt, ut Romanorum magistratum nomina modo Graece appellarent, modo Latina nomina retinerent, praetoremque modo στρατηγόν redderent, etiam ubi non de exercituum ductu, sed de iure dicundo ageretur (Plutarch. reg. et imperat. Apophthegm. I. p. 782. Wytt.), modo προστώος dicerent, Quaestores modo ταμίας, modo Κοιτιστωρας, centurionem modo ταξίαρχον, modo ζερτρούιων, ut legionem modo τάξιν modo λεγεωνα, neque verecundarentur δικτάτωρα dicere (Cf. Wannowski Antiquitatt. Roman. e Graecis fontib. explicat.); at haec animadversio nihil valet ad Plautum interpretandum, cuius aetate quum neque ista mixtura utriusque linguae et contaminatio in promiscua esset consuetudine, neque tamen pure dicendi sollicita cura poetam, quippe palliatum, prohiberet, quin, ubi libuisse, Graeca instituta et vocabula in fabulis attingeret, quoniam Curcul. II. 3, 6 Strategum commemoratum invenimus et Demarchum et Agoranomum et Comarchum et Tyrannum, Captiv. IV. 2, 44 item Agoranomum, Plautus ipse vetuisse censendus est, Latinis nominibus magistratus pro Graecis existimari. Adde quod praeter haec magistratum nomina inveniuntur, quae, quocunque te verteris, non poteris dicere ne similiter quidem Graecis institutis facta esse, sed a Plauto ex suimet ingenii copiis addita confitebere, Captiv. III. 1, 32 sqq. legem barbaricam rogationi Q. Varii Hybridae de maiestate praeludentem, ut, quibus auctoribus socii Romani, quo victu populus Romanus prohiberetur, rebellaverant, ii capitibus accusarentur; Mostellar. III. 1, 122, ut sive ex legibus duodecim tabularum sive ex iure praetorio, qui uno numo plus peteret, totam causam perderet; Pseudol. I. 3, 68—70 et Rudent. V. 3, 24 sqq. legem quinavicensiarum i. e. Plaetoriam, qua minores quinque et viginti annis sine auctore nequirent sponsionibus obligari; Poenul. I. 1, 54 sqq. legem Aquilliam, qua servorum corruptores et receptatores tenerentur in duplum, ut nihil dicam de lege Cincia munerali, quia non in Varronianis fabulis commemoratur, sed in incertis fragmentis; Menaechm. I. 1, 21; Rudent. III. 6, 53; Poen. V. 6, 4 legem, qua iudicati, donec rem iudicatam fecissent, ei addicti et vinci erant, qui vicerat; Milit. glor. IV. 1, 15 et Amphitr. I. 1, 306 festucam, redimendum pileum, rasum caput libertinorum; Aulul. III. 5, 28 sqq. legem plostrariam de vehiculis mulierum Plautino tempore latam (Liv. V. 25 et XXXIV, 1); Epidic. I. 1, 26 duos Praetoris urbani cum fascibus

lictores; Pers. IV. 9, 11 atterendas testium aures; Pseudol. IV. 7, 134 et Menaechm. III. 1, 12 centuriata comitia; Bacchid. IV. 9, 150 et Pseudol. IV. 4, 13 triumphantium victis hostibus imperatorum pompam et laetitiam.

Denique si privatam Plautinarum personarum vitam intuemur, ubique fere Romanos mores, non Atticos repraesentari videmus, patris tantam potestatem, ut liberos ante initias nuptias vendere possit vel in servitutem ducere (Pers. III. 1, 16; Amphitr. I. 1, 23), ingenuorum puerorum educationem, qua litteras noscant, iura et leges ediscant, tum ad legiones proficiscantur cum adminiculo (Mostellar. I. 2, 45—48), asperiorem servorum conditionem (Asinar. III. 2, 4 sqq.) de lapide a praeconibus venales praedicantibus emptorum (Bacch. IV. 7, 17), eorundemque, si promeruerint, per testamentum et inter amicos et per vindictam manumissionem (Asinar. II. 2, 40; Menaechm. V. 9, 87 sq. Mil. glor. IV. 1, 15), retentam dotem uxoris adulterae (Amphitr. II. 2, 222), ludos scenicos servis actoribus (Amphitr. III. 4, 4), Circensia oblectamenta et ceremonias (Mil. glor. IV. 2, 1; Truculent. II. 6, 11; Poenul. V. 5, 12; Pers. III. 3, 31; Stich. II. 2, 28), volsorum ludionum saltationes (Aulular. II. 9, 6), Senatorum nobiliumque hominum feriarum tempore et prolatis negotiis in villas secessiones (Captiv. I. 1, 10 et III. 1, 8), viscerationes et largitiones per diribitores institutas (Aulular. I. 2, 29. 30; ibid. II. 2, 1 sqq.; ibid. III. 6, 27), multaque alia, quae tametsi Romana sunt, tamen praetereunda videbantur, quia non sunt propria populi Romani sed communia omnium, qui ex fera agrestique vita ad humanum cultum civilemque defluxerunt.

His autem, quae summa deprompsi ex larga penu exemplis perspectum est, maximum Plautini ingenii altius evolantis ubertatem, spreta Atticorum poetarum auctoritate, quibus fabularum nervi et lacerti continerentur, ea non de alieno, sed de suo dedisse, ut, qui haec ex intima Romanorum et natura et vita et conditione derivata et ad Romanos laetitia cumulandos, notandos, corrigendos scite composita ad Graecos fontes reducere Athenasque retorquere student, frustra tamen non semel laborantes, prorsus a vero aberrare et, si quaeris, macula Plautum afficere magis, quam augere dignitate videantur. An huic id minus licuit, quod ceteri palliatarum scriptores sibi arrogaverunt? Nam qui qui fuerunt eorum, quae sub Plauti nomine circumferuntur, fragmentorum auctores, referta sunt pleraque rebus Romanis; quod vero in ceteris scenicorum poetarum reliquiis solitariis rariora illarum vestigia apparent, non credendum est, in integris coœdiis eandem raritatem moris Romani exstisset, sed illud inde factum esse clarum est, quod grammatici fere ob verborum quorundam singularem usum dissipatos hos versus et versuum particulas nobis asservaverunt rerum contextum ac perpetuitatem minus curantes. Quamquam Naevius Campas certe, cuius fabulas fuisse palliatas et Quintilianus et Sedigitii et Gellii evincunt testimonia, saepius res Romanas et Italicas attigisse vel in laceris fragmentis reperitur (Bothe V. 2. pag. 10—27); velut una ex eius fabulis a Varrone laudata Clastidii nomen prae se fert, in Hariolo vero, quam Macrobius allegavit, duo hospites commemorantur, alter Praenestinus, alter Lanuvinus, tum in Lupo fabula Veientinus inest et Albanus [Amulius Scalig.], in Acontizomeno Sulpitii nomen inventur, et ipsum illud Coquus edit Neptunum, Venerem, Cererem in Veneris nomine redolet Romanorum religionem, ut omittam, quod A. Gellius III. 3 refert, Naevium ob assiduam maledicentiam et probra in principes civitatis de Graecorum more poetarum dicta in vincula coniectum (quam rem a Plauto Milit. glor. II. 2, 56 significari

et irrideri putant), nec prius liberatum esse, quam scriptis in carcere duabus fabulis Ariolo et Leonte ipsa illa dicta et petulantias, quibus multos ante laeserat, diluisset. Postremo Terentius, quem et propter ipsius professionem artis et propter summam eius auctoritatem iudicii nostri normam quandam et quasi amussim esse voluimus, quique, si certis in servando more Graeco legibus circumscripti fuissent poetae Romani, sine ulla dubitatione, opinor, Graeca verba pure et sincere in palliatam transtulisset, nonne dudum animadvertisisti, ut nonnullis locis ad Romanorum morum similitudinem proprius accesserit, Graecosque mores adaptaverit Romanis? praeterquam quod interpretationis meae benignitate non pauca in Terentio vindicata sunt ut Graeca, quae fortasse rudior pars spectatorum et Graeci moris minus perita aut ad domestica instituta retulit aut parum recte intellexit, et quod multa ille ita extenuavit et in nullo discrimine posuit, ut, ad utrum populum velis, possis referre, quo in loco Latinae dictionis proprietati ille minus quam Plautus prospexit, velut quum Terentius minus significanter dicit in ius ire, in iudicium ire, iudices, magistratus (Phorm. I. 2, 29; ib. II. 3, 56; Eunuch. II. 3, 48), Plautus Praetorem inducit, recuperatores, tresviro, aediles, lictores; Terentius exercitum dimittere (Eunuch. III. 1, 12; ib. IV. 7, 44), Plautus legiones, ductum, imperium, auspicium (Amphitr. I. 1, 41 etc.); Terentius discessionem, repudium remittere, renunciare (Andr. III. 3, 36; Phorm. V. 7, 35 et IV. 3, 72), Plautus coniugem iubere suas sibi res habere (Amphitr. III. 2, 47; Trinum. II. 1, 32), quamquam interdum inter utrasque locutiones aliquid intercedere videtur discriminis (Becker, Gallus I. p. 23); Terentius Accede huc ad me, liber esto (Adelph. V. 9, 13), Plautus identidem etiam vindictam et festucam commemorat.

Iam quoniam neque voluisse neque debuisse Plautum Graeco colore et Atheniensi incorrupto et sincero fabulas suas inficere exploratum est, restat, ut sine plurimorum spectatorum molestia et incommoditate ne potuisse quidem paucis ostendamus. Etenim quod olim de Terentii comoediis animadvertisimus, quum imperitae multitudini Romanorum alicubi accommodatas existimabamus, id maiorem in modum ad Plautinas fabulas pertinere, inde apertum promptumque est, quod, quum summe admirandum sit poetae ingenium et nativus lepor. tamen et antiquo tempore Horatius (Art. 271 — 274; Epp. II. 1, 172 sqq.), Quintilianusque (X. 1, 99 et 100) et recentiore aetate Dan. Heinsius multique alii suo quodam iure eas tulerunt sententias, ut illius fabulas indocto potius vulgo plebisque cuneo, quam elegantiorum hominum circulis et quatuordecim ordinibus dedicatas fuisse putarent. Vulgi autem Romani quantam censes Plauti aetate fuisse Graecorum morum et Atticarum disciplinarum notitiam, ut comoediam Atticam intra domesticos parietes et Athenarum paene venas et viscera penitus residentem non principes tantum Romanorum et cultiores homines, sed indocta et rustica plebs mulieresque et plane intelligerent et festivis animis exciperent? Nam bello Punico secundo, quo ipso tempore floruit Plautus paulloque post, quum Graecia civitatum dissidio mutuas simultates inter se excentium paene ad perniciem quassaretur, Romani ulteriori Graeciae arma intulerunt prima; cuius inter utrumque populum commercii et consuetudinis quamquam ipsi Athenienses potissimum, a rege Philippo vexati, missa Romam de ferenda ope legatione, primam ansam attulerunt (Liv. XXXI. 1 et 5), Romanorum tamen legiones non Athenas, sed Macedoniam primum patefactum ierunt et debellatum. Ante hoc bellum vero Macedonicum neque Graecis, quippe quibus nihil periculosius visum esset quam *eis τὸν*

Ἄθωνα πλεῖν (Athen. XIII. c. 95), neque privatis hominibus Romanis tam creber fuerat et mutuus cum altero populo usus et commeatus, neque denique, belli praesertim tempestate, dehinc tam cito tamque perfecta Atticorum morum et institutorum cognitio plebi Romanae obtingere potuerat, ut, quidquid praeter res amatorias et tralaticias in Attica comoedia commemoratum vel leviter significatum erat, id iam Plauti temporibus ab omnibus spectatoribus et sentiri et plane intelligi posset. Atque si captis demum Syracusis primum initium mirandi Graecarum artium opera factum esse Romanis (Liv. XXV. 40), iisdemque fere temporibus Musam Graecam se intulisse primum bellicosam in Romuli gentem (Porc. Licin. apud Gell. XV. 21, 45) meminimus, perspicuum esse debet, si qua forte per peregrinantes Romanos, eosque ditiores ac nobiliores homines, vel per nautarum ultiro citroque proficiscentium frequentiam Romae de Atheniensium institutis et studiis et moribus illius populi propriis percrebruisserent, ea non tanti esse potuisse, ut comoediam vere atticissantem Atticisque conditam salibus atque elegantiis vel plebeii homines et agrestes persentiscere ac suaviter affici potuisse videantur. Quid? quod satis multis post Plautum annis, quum Carneades et Diogenes et Critolaus Romam venissent ab Atheniensibus publici negotii causa missi (Plin. Histor. nat. VII. 30; Plutarch. Cat. mai. c. 22; Gell. VII. 14, 8), Romani viri et iuvenes Graeca se disciplina informari et erudiri contra morem maiorum cupere coeperunt et praeter omnium opinionem Graecis magistris inhiaverunt, nonne ostentui est, nova etiamtum ista plerisque Romanis fuisse, populumque, qua vita et quibus studiis ac moribus uterentur Athenienses, Plauti aetate fere ignorasse? Quid? Terentius, vir elegantiorum hominum Graeceque doctorum consuetudine usus et eorum potissimum in comoediis appetens approbationem, nonne, ut consuleret Graecitatis ignorantiae, satis multo post Plautum tempore ad intelligendum fabulis suis commentariolos illigavit? nonne Graecos mores saepius immutavit, obscuravit attemperavitque Romanis? Quid? Cornelius Nepos, qui ea fuit aetate, quum Graecis magistris et Atheniensium doctrinis iam omnes fere uterentur (Liv. IX. 36), excellentium imperatorum vitas profecto non infimi ordinis lectoribus scribens, nonne tamen plerosque etiamtum Romae fuisse Graecarum ut litterarum ita consuetudinum expertes testatum fecit copioseque et multis exemplis Graecorum morum a Romano populo discrepantium monendos lectores esse putavit, multa aliter geri in Graecis, aliter Romae, neque eosdem mores pari in utroque populo numero haberi? Ac ne peregre quidem, quanta Plautinorum spectatorum fuerit Atticae disciplinae ignoratio, argumenta expiscari opus est; redeamus ad nostrum poetam ipsum, qui, quum Romani servi deterrima essent conditione et servitute, vix ut contubernium iis, non iustum ac stabile matrimonium concederetur, Atheniensium vero servi multo lenius et humanius haberentur, ne offendiceret spectatores, Stich. III. 1, 37 sqq. faciendum putavit, ut in ipsis diverbiis haec ad intelligendum adderet:

Atque, id ne vos miremini, homines servolos

Potare, amare atque ad coenam condicere:

Licet hoc Athenis nobis.

et quasi poenam deprecans servati moris Attici:

Sed cum cogito,

Potius, quam in dividiam veniam, est etiam hic ostium

Aliud posticum nostrarum harunce aedium,

Ea ibo obsonatum, eadem referam obsonium
Per hortum; utroque commeatus continet.

Et prologus Casinae ex Diphilo conversae, quem prologum fere triginta post primam fabulae actionem scriptum esse, res ipsa docet, de simili more Attico haec habet:

Sunt hic, quos credo nunc inter se dicere:
Quaeso Hercle, quid istuc est? serviles nuptiae?
Srvine uxorem ducent aut poscent sibi?
Novum attulerunt, quod fit nusquam gentium.
At ego aio hoc fieri in Graecia et Carthagini
Et hic in nostra terra in Apulia. — —
Id ni sit, mecum pignus, si quis volt, dato
In urnam mulsi, Poenus dum iudex siet,
Vel Graecus adeo, vel mea causa Appulus.

Et Graeci sermonis parum gnoscos fuisse istis temporibus Romanos, si nesciremus Catonis superioris tempore C. Acilium vel Coelium ex Senatus auctoritate trium philosophorum Atticorum primos sermones Latine interpretatum esse (Plutarch. Cat. mai. c. 22; Macrob. Saturn. I. 5), aut si multo post Cicero, suorum hominum promptissimus laudator, Graece Romanos fere nescire, non confessus esset (Tusculan. V. 40. 116), doceret addita saepius apud Plautum Graecorum vocabulorum Latina interpretatio. Milit. glor. II. 1, 8:

Alazon Graece huic nomen est comoediae,
Id nos Latine Gloriosum dicimus.

Mercat. prolog. 9:

Graece haec vocatur emporos Philemonis
Eadem Latine mercator Macci —

Casinae prolog. 31:

Clerumenoe vocatur haec comoedia
Graece, Latine sortientes —;

nec solum in prologis, qui si retractatis demum fabulis additi sunt, quo recentiores et suspectiores videbuntur esse, eo magis illud quod dixi probabunt, sed etiam in fabula ipsa talis Graeci nominis interpretatio invenitur Truculent. I. 1, 58:

Nam mihi haec meretrix, quae hic habet, Phronesium,
Suum nomen omne ex pectore exmovit meo,
Phronesium; nam phronesis est sapientia.*)

*) Sunt qui ultimum versum tanquam spurium et lectoris alicuius interpretamentum damnent. Ego vero et ceteras Graecorum verborum interpretationes intuens et inveniri illum versum in MSS. et Edd. omnibus reputans, quum vulgus spectatorum, si a quoquam, certe a Doriensibus accessis illam vocem inaudivisset *φρόνειαν* pronunciantibus (Cf. Ephantus apud Stobaeum Sermon. XVIII ter et Phintys apud eund. Serm. LXXIV. bis), plebi Romanae, Atticae dialecti inscienti et Graecae linguae hospiti, non ita proclivem arbitror fuisse istius, ut ita dicam, agnominationis intelligendae facultatem, ut Plautus temere et praeter necessitatem illud interpretamentum addidisse putetur. Adstricte enim Plautus in agnominationibus sonitum sequitur verborum, non peregrinae dialecti. Hinc Epidamus damni omen nuncupatur (Menaechm. II. 1, 38), et quae iam paene Latine ad aures accident, Crucisalus e Chrysallo singitur (Bacch. II. 3, 128) ac Saturionis nomen opponitur esurienti (Pers. I. 3, 23); at a demendo *Ἄρχιδαμίδας* duci non potuit, sed potuit Archidemides (Bacchid. II. 3, 50).

Quae quum ita sint, quoniam unice Atticos mores Plautus in fabulis sequi non potuit, Graecos vero in scenam committi mos iubebat Romanorum, facile apparet, cur graecitatem quidem quandam, sed eam infuscatam et peregrinis oblitam moribus fabulis suis incluserit, ut gravissimo errore se duci patientur, qui ex palliatarum scriptoribus germanas Atheniensium vel leges et instituta vel consuetudines cognosci posse putant. Nam ut exspectationi satisfaceret spectantium et tralaticio mori per priores poetas scenicos induito, retinuit ille quidem quaedam Graecorum morum indicia, aut etiam de suo addidit, sed utrumque genus graecitatis non unice ex Atticis poetis hausit, verum haud raro ita instituit ac digessit, ut palliati isti histriones non tam ex Attica, quam terram parum novarent spectatores, quam ex vicina Graecia et Sicilia prodisse viderentur, id autem est, ex eo Graecarum regionum tractu, unde, quid Graecum esset, a primo initio Romani, non fama aut litteris, sed usu et consuetudine didicerant eamque universae graecitatis opinionem animis informaverant, unde non ita pridem primordia litterarum et ingenuarum artium Romam introduxerant, unde denique ii ipsi prodierant poetae, qui primi Romae pro ludicris istis iocis, quos ex tempore olim fuderant vernaculi ludiones, scenicam artem et argumenta artificiosius composita substituerunt. Convenienter igitur quum alia, tum ludi Cerealia dicebantur Romae celebrari Graeco ritu, quia arcessitis a Magna Graecia sacerdotibus agebantur (Cf. Ignarra de phratr. p. 122), vel Graecum pecus simpliciter dici coeptum erat pro Tarentino vel Apulo (Interpp. ad Calpurn. Eclog. II. 69), ut dixit Plautus ipse Mercat. III. 1, 27, cf. Truculent. III. 1, 5; similiter ille Atticum morem aliquando sequens sed verecundanter, in iis versibus, quos supra pag. 16 ex Casinae prologo exscripsi, num ille mos Graecus esset, an non esset, non ab Atticis, apud quos res agi dicitur, sed a quolibet Graeco et ab Appulo aestimari iussit et disceptari. Deinde plurima Plautus Graeca vocabula ad usurpandam graecitatis speciem in fabulas suas suscepit, sed complura eorum non Atticae, sed propioris ipsi et Doricae originis; an putas, miccotrogum, Alidem, Alios, zamiam, τὰν Κόρων, τὰν Πρατνέστην, τὰν Σιγνίαν, τὰν Φρονσινῶν, τὰν Ἀλάτριον,*) Philodamum, catagelasimum

*) Sicuti Captiv. IV. 2, 102 in iuramentis et Ἀλάτριον et quini articuli τάν indicio sunt, Dorice illa a Plauto facta esse, ita oblitteratus dorismus restituendus videtur etiam in Attica voce iurativa νή, pro qua quinques scribendum ναι est. Ac de negativis Doriensium iuramentis omnia nota sunt, cf. Gregor. Corinth. p. 257 ibique Koen.; sed aientium iuramentorum, quia lex parum perspecta videtur (v. Passow in lexico s. v. ναι; Hoogeven. apud Viger. p. 424. Herm. ed. 2.), apponam aliquot exempla: Ναι τὰν Κόρων Aristoph. Vesp. 1478 (Sybaritana mulier iurat); ναι τὰν πότνων Theocrit. XV, 14; ναι τὰν νηξαμένων χαροποῖς ἐνὶ κύπασι Κύπρων Meleagr. Gадaren. LXVIII, 1; ναι τὸν Φίλιον, ναι τὸν Ἐρμᾶν, ναι τὸν Ποτείδαιν Aristoph. Acharn. 738, 750, 850 (Megarenses iurant); ναι τῷ σιώ Xenoph. Hellen. IV. 4, 10 et Anabas. VI. 4, 34; ναι τὸν Κάστορα Aristoph. Lysistr. 206 et 988; ναι τὸν Ἔρωτα Theocr. II. 118 et Meleagr. XXXV, 1; ναι τὸν Ηᾶνα Theocrit. IV, 47 et VI, 21; ναι Μοίρας Theocr. II. 160; νεὶ τὸν Ιόλαον Aristoph. Acharn. 875 (Boeotus iurat). Ubi vero νή reperitur Doribus tributum, aut mire variat aut aperte corrupta est lectio, velut illis, quos adscripsi, locis Xenophontis et Priseian. Gramm. XVIII. c. 291 νὴ τὴν Κόρων, quod primus scripsit δωριάζειν volens Putschius pro Attico iureiurando νὴ τὴν Αήμητον, et Dii apud Stob. Serm. LXV (Tom. II. p. 436 Gaisf. Lips.) νὴ Σία, et Plutarch. Apophth. Lacaenar. I. p. 970 Wytt. νὴ τῷ σιώ. similiter et apud Planudem et apud Suidam s. v. κρέκονσα invenitur νὴ Ηᾶνα, quod ex Meleagro (Epigr. LXXXVII, 1) desumptum, sed codicis Vaticani auxilio a Graefio et Jacobsio ναι Ηᾶνα correctum est; item Planudes et alibi et Meleagr. Epigr. XXXII, 3; LXVIII, 1; CVI, 1 νὴ habet, ubi melioris notae

aliunde, quam e Magna Graecia adscita, vel quemquam eorum poetarum, quos ille sequutus erat, sic loqui sustinuisse? (Cf. Phrynic. et Lobeck. p. 227 et 638.). Porro quum congraecare (Bacchid. IV. 4, 91) ille saepenumero quosdam vel pergraecari (Mostellar. IV. 2, 44; ibid. I. 1, 21 et 61: Dies noctesque bibite, pergraecamini; Bibite, pergraecamini, este, effercite vos, saginam caedite; Bacchid. IV. 7, 15; Poenul. III. 2, 26; Truculent. I. 1, 69) dicit aut Graeco more bibentes aliquoties inducit (velut Pers. V. sc. 1; Stich. V. sc. 4), non possunt ista vocabula ad Atticorum mores efficta et in usum recepta videri, quorum hominum proprium erat non ingurgitare sese et laetus invitare, sed φιλοκαλεῖν μετ' εὐτελείας et μιχροτραπέζους εἶναι; at non abhorrent a Campanorum quidem, quos non uno loco notat Plautus, vel Neapolitanorum, vel veterum Sybaritarum intemperantia, vel etiam Siculorum, quos libidinosos et voluptarios fuisse et aliunde constat, et ait Plautus Rudent. prolog. 54. Nam ex Atticorum vitae rationibus quae et qualis fuerit Graeca compotatio, Solo ipse docebit, non ille antiquus, sed quem non multo ante Plauti aetatem in scenam prodeuntem fecit Alexis (apud Athenaeum X. c. 38):

Toῦτος ἔσθι, δόρας, Ἑλληνικὸς

Πότος, μετρίοισι χρωμένονς ποτηρίοις

Αλεῖν τι καὶ ληρεῖν πρὸς αὐτοὺς ἡδέως.

Τὸ μὲν γὰρ ἔτερον, λογόν ἔστιν, οὐ πότος,

Ψυκτῆρι πίνειν καὶ πάδοις, θάνατος μὲν οὖν.

Quid ergo? huiusne convivii Attici propositio et cogitatio aut nomen congraecandi invenit aut in Plauti fabulas se insinuavit? Qui ne negat quidem ipse, Atheniensium se mores in quibusdam deseruisse (Casin. III. 5, 24), Menaechmosque graecissare quidem, nec tamen atticissare, sed sicilissitare fatetur (prolog. 7—12), non quod illam fabulam ab aliquo Siculo poeta sumpserit, (quod quidem eum fecisse, non modo firmis argumentis, sed ne coniectura quidem demonstrari potest,) sed quia tota actio Syracusis orta, deinde Tarentum et Epidamnum traducta postremo revertitur Syracusas, continentque fabula non modo Siculorum regum nomina et successiones (II. 3, 58 sqq.), sed etiam Syracusanorum navigandi quoquaversus opportunitatem (II. 1, 1—16), nauticorumque hominum mores et sermones (II. 2, 69 sq.; 3, 87; 2, 75). Idem Siculum ludicrum vel Sicilienses logos, ut deteriores quidem Atticis, sed tamen ita commemorat (Pers. III. 1, 67), ut eos spectatoribus iam aliunde et fortasse Plauti ipsius opera innotuisse intelligamus, perinde ac Tarentinorum ludorum (Menaechm. prol. 29) sine dubio scenicis quoque fabulis celebrium mentio facta est. Quid quod totam Amphitruonem, quam

codices constanter ναι praebent. Postremo Plautinum iusurandum μά τὸν Ἀπόλλω Capt. IV. 2, 100, quod parum scienter Lindemannus Mostell. IV. 2, 57 defendi putat, altero loco mutandum in ναι τὸν Ἀπόλλω et syntaxi postulante aientis iurisiurandi, neque prohibente metro, altero loco retinendum est. Nam μά, non praecedente particula ναι, in affirmativo iuramento ponere, ita abhorret non dico a Doriensium, sed ab omnium bene Graece loquentium usu, ut ante Libanii, Alciphronis, Aristaeneti aliorumque senescentis Graeciae scriptorum tempora prorsus inauditum sit (cf. Brunck. ad Aristoph. Lysistr. 465 et Jacobs. ad Achill. Tat. VIII, 5), neque Plautus aut aetate aut eruditione is est, qui inquit locutus videri possit.

prologus (v. 59) tragicomoediam appellat, ex Rhintonis Tarentini vel Syracusani fabula eiusdem nominis expressam censem Neukirchius et Grysarius (Doriensium comoed. pag. 55), quorum coniecturam satis probabilem qui impugnaverunt, nondum redarguerunt. Quod vero Horatius (Epp. II. 1, 58) Plautum ad exemplar Siculi properare Epicharmi refert, quo in versu interpretando, dici vix potest, quam diversas in sententias virorum doctorum sollertia discesserit, ad vitam tamen moresque personarum referre non ausim, sed intercedere aliquid similitudinis inter utrumque poetam inveniendarum et pertexendarum fabularum artificio apertum est. Maiori autem indicio, Sicilienses Graecos Plautum et in Magna Graecia habitantes imitatum esse, multiplex est locorum Graecorum in Italia sitorum commemoratio, Graeciae exoticae (Menachm. II. 1, 10), parvae Graeciae (Trucul. II. 6, 55), Tarenti, Campaniae multarumque urbium eius provinciae, deinde Siciliae, Syracusarum, Agrigenti, Aetnae montis, qui quum res Ephesi agi dicatur, Militi gloriose (IV. 2, 73) pro divitiarum mensura est; quamquam id quidem Plautus non sine exemplo aliorum quoque utriusque linguae scriptorum pro qualibet re magna atque ingenti dixisse videtur (Euripid. Herc. fur. 641; Aristoph. Pac. 73, ubi v. schol.; Cic. Senect. 2), ut nihil dicam de Istria, Hispania, Massilia, Illuria, omnibus oris Italicis, marique supero, qnibus regionibus fratrem Menaechmum quaesitum esse Plautus finxit, posito in vicinia scenae et actionis loco. Indidem crebrior Agathoclis commemoratio in Plauti fabulas irrepsit (Pseudol. I. 5, 118; Menaechm. II. 3, 58; Mostell. III. 2, 88), ut ille magni alicuius instar regis esse videatur et Romanis notissimi, commemoratus autem fuisse Atticis poetis non videatur. Atque Punice loquentem actorem, nisi statuemus a Plauto ipso fabulae Atticae additum esse, quippe cui summa occasio fuisse Poenos cognoscendi eorumque ingenia notandi (serviebant enim Romae multi. Cf. Cic. Tusc. III. 22; Poenul. prol. 112 sq.; V. 2, 17 et 30), Graeci quidem vix ulli alii in scena spectaverunt, extra Magnae Graeciae et Siciliae theatra. Et nescio an multa Atticorum instituta et consuetudines, quae in Plautinis fabulis insunt, non ideo a poeta retenta et celebrata esse videantur, quod commemorata essent ab iis poetis Atticis, a quibus adumbrationes fabularum ille mutuatus erat (poterat enim more suo Romana instituta substituere), sed potius propterea, quod eiusdem vel nominis vel potestatis instituta et mores innotuerant spectatoribus ex vicina Graecia aut e Sicilia. Velut cottabi lusum commemoravit et quidem ioculariter Trinum. IV. 3, 4, non ut Atticis perfamiliarem, neque quod Philemo in Thesauro cottabi mentionem fecisset, sed quia erat illud, ut ait identidem Athenaeus, *Σικελιών παιγνιον* (Jakobs Vermischte Schriften Tom. VI. pag. 109), et indidem spectantibus cognitum. Neque Apollinis Agyiei religionem ille aliquoties in fabulis ut Atheniensium propriam celebrasset, nisi ea cultores habuisset quum alias Graecos tum Doriensium gentes (Schol. ad Aristoph. Vesp. 907). Item *γυραικούσμους* sive *γυραικούμους*, nisi forte ludit in lege Oppia, de qua tollenda et abroganda Plautinis temporibus graviter agitatum est (Liv. XXXIV. c. 1 — 8), ex Attico poeta in Aululariam (III. 5, 30 sqq.) traduxit, non quod illius vestigia religiose sequenda putaret, sed quia id genus magistratum, quod Romanis non fuit, habebatur tamen Syracusis (Phylarch. ap. Athen. XII. c. 20. Tom IV. pag. 436); itemque Demarchum retinere voluit vel Graeco nomine, non ut Atticum magistratum, sed ut Neapolitanum (Ignarra de phratr. pag. 223); atque adeo Capitolii nomen excusatius in Atticas fabulas bis importasse videbitur, quia Capitolium non Romae tantum erat, verum etiam Capuae (Sueton. Calig. 57), Beneventi (Sueton. Illustr.

gramm. c. 9) aliisque in urbibus Italiae. Ex hac igitur diversorum Graecorum colluvione magna est Plauto nata opportunitas, ut, quum Atticas fabulas dare videretur, saepenumero eos Graecos actores et interlocutores induceret, qui limites transilientes etiam res Romanorum et mores attingere possent. Nam illud Plauto dubium esse non potuit, quin Attica fabula, nulla adhibita correctione et accommodatione ad verbum Latine expressa quum plerisque Romanis, tum imperitae multitudini aut non posset percipi satis, aut non placere plausumve popularem merere, propterea quod Romani Atticarum fabularum et elegantiarum etiamtum parum essent capaces. Post haec vero tempora et devictam Macedoniam Corinthumque eversam, quum paene perpetuo legiones Romanae in Graecia et in Asia versari coepissent, quumque, ut ait Horatius, Graecia capta ferum victorem cepisset et artes intulisset agresti Latio, quia hinc Polybius cum mille Achais captivis, hinc Panætius Rhodius et Crates Mallotes, hinc multi alii Graeci, homines pauperculi et docti paedagogi, et usu et artium suarum professione Romanos Graecæ doctrinae amore imbuerant, nunquam intermissa est Romanorum cum Athenis, cultioris vitae et litterarum ingenuarum inventricibus, reliquaque Graecia consuetudo et societas, ut pristina rusticitas illorum et bellis parta strenuitas Graecis et litteris et doctoribus mollita sensim ad morum quandam elegantiam excoleretur et perpoliretur. Quo autem magis ista increbrescentium Graecarum disciplinarum contagio in nobilium Romanorum ordines penetravit principumque in republica hominum animos tenuit, eo magis quum omnis poesis ad paucos recidit Graece doctos et Graecorum imitatores, tum scenicarum fabularum actio, quae olim popularis fuerat et demerenda populi gratiae, quia exinde fabulae non iam ex ipsius populi Romani vita et moribus repetitae, sed peregrini populi moribus et exemplis assimilatae erant, exaruit ac magis magisque mimis et pantomimis cessit, aut ad optimatum privatas commissiones fere restricta est. Itaque Terentius summorum virorum consuetudine usus (Adelph. prolog. 15 sqq.) et illo Graecarum rerum studio ipse quoque imbutus, facile perspicitur, quare ad servandum in palliatis comoediis Graecum colorem et habitum propensior fuerit et, conversa arte ad speciei cuiusdam similitudinem, plebeiorum spectatorum plausui minus inservierit, quorum hominum quid ratio et natura postularet, non ipso usu et experiendo cognoverat. At Plautus, homo ignobili loco et natus et adultus, excellenti praeditus ingenio et humanorum studiorum acutus indagator et observator, quum illo tempore nondum tantus Graecarum doctrinarum amor hominum animos pervasisisset, non se Graecis comicis, sed hos sibi ipsi submittere conatus, quibus verbis et sententiis rebusque et sermonibus et infimi et summi ordinis homines una delectari possent, multo melius et callidius perspexerat. Itaque non Atheniensium, a quibus fabularum designationem pro seculi consuetudine et more priorum petierat, sed longe maximam partem Romanos, aut Italicos saltem, mores in fabulas suas sapienter intulit, ut, quum Graecam se fabulam apportare diceret a Diphilo, Philemone, vel alio Atheniensium poeta comico repetitam atque conversam barbare, mirum in modum ac splendide mentitus esse, idque auctoritatis magis quam veritatis causa dixisse reperiatur, sicut quosdam artifices Tiberii aetate refert Phaeder Thrax pretium operibus suis invenisse maius,

Si marmori adscripsissent Praxitelen suo.

Jahresbericht von Michael 1852 bis Michael 1853.

A. Allgemeine Lehrverfassung.

(W.=Winterhalbjahr. S.=Sommerhalbjahr.)

I. Prim a.

Ordinarius: Herr Prorektor Dr. Gützlaff.

Deutsch. 3 St. Literaturgeschichte von Ulfilas bis Luther, nach Schaefer, mit Anschluss der Lectüre (das Nibelungenlied in der Ursprache); grössere Ausarbeitungen und kleinere Aufsätze, Extemporalien und metrische Uebungen; Vorträge eigner Reden; Leitung der Privatlectüre. (In ausserordentlichen Stunden während des Winterhalbjahres Lesung klassischer Dramen). Der Direktor. — Latein. 3 St. Cic. Tusc. I bis IV. Privatim Liv. II u. III. 3 St. Stilübungen und Grammatik; Exerzitien, Extemporalien, Aufsätze, Disputirübungen. Hr. Oberl. Dr. Schröder. 2 St. Horat. Od. III u. IV, Epod., carm. saec. u. Sat. II mit Gedächtnissübungen. Privat. Virg. Georg. I u. II. Hr. Oberl. Gross. — Griechisch. 5. St. Plat. Alcib. I u. Laches. Herod. VIII. Hom. II. XIII bis XVIII. Schriftliche Uebersetzungen, Memorirübungen, Extemporalien u. Grammatik. Privatim: Hom. II. XIX bis XXIV. Plat. Alcib. II und Hipp. min. Herod. IX. Der Direktor. — Hebräisch. 1 St. Wiederholung der regelmäss. u. Einübung der unregelmäss. Konjugat., Lectüre in Gesenius Hebr. Lesebuch. Hr. Oberl. Raymann. — Französisch. 2 St. Lectüre (Ged. von V. Hugo, Lamartine etc. und Louis XI von Delavigne). Repetit. der Gramm. durch Exerzitien und Extemporalien. Sprechübungen. Hr. Gräser. — Philosoph. Propädeutik. 1 St. W. Einleitung in die philosophischen Wissenschaften. Logik. Hr. Prediger Hintz. S. Empirische Psychologie. Hr. G. L. Henske. — Religionslehre. 2 St. W. Cap. 1 bis 15 der Apostelgesch. wurde in der Ursprache gelesen, erklärt und besprochen. Hr. Prediger Hintz. S. Die Lesung der Apostelgesch. wurde beendet, der Inhalt der apostolischen Briefe besprochen, der Brief an die Römer und an die Ebräer gelesen und erläutert, ausgewählte Stellen wurden gelernt. Hr. G. L. Henske. — Mathematik. 4 St. Die allgemeine Arithmetik, nach Grunerts Lehrbuch. Hr. Pror. Dr. Gützlaff. — Physik. 2 St. Abschnitt I bis VI und VIII nach Brettners Lehrbuch der Physik. Hr. Pror. Dr. Gützlaff. — Naturgeschichte. 1 St. im 2. Quartal. Uebersicht über die 3 Naturreiche. Hr. Dr. Kossinna. — Geschichte und Geographie. 3 St. Wiederholung der alten Geschichte und Geographie. Neuere Geschichte nach Ellendt § 1 bis § 15. Hr. Oberl. Gross.

II. Sekunda.

Ordinarius: Herr Oberlehrer Dr. Schröder.

Deutsch. 1 St. Lectüre (Schillers Maria Stuart. Lyrische Gedichte von Klopstock, Schlegel, Stolberg u. a., ferner Bruchstücke aus Göthes Iphigenie und aus Hermanns Schlacht von Klopstock, in Lehmanns Lesebuch II. 3). Der Direktor. — 2 St. Poetik. Grössere und kleinere Ausarbeitungen, metrische und Vortragsübungen. Hr. Oberl. Raymann. — Latein. 4 St. Cic. oratt. pro Roscio Am. nebst schriftl. Uebersetzung, pro Archia p., Philippica II. Privat. Caes. b.

Gall. II bis IV. Hr. Oberl. Dr. Schröder. 4 St. Gramm. nach Zumpt. Exerzitien, Extemporalien, Aufsätze, Memorirübungen. W. Hr. Oberl. Dr. Schröder. S. Hr. G. L. Dr. Zeyss. 2 St. Virg. Aen. I bis III. Priv. Virg. Aen. XI und XII. W. Hr. G. L. Reddig. S. Hr. G. L. Dr. Zeyss. — Griechisch. 2 St. Arrian. I u. II. Privat. Xen. Cyrop. II. W. Hr. Oberl. Gross. S. Hr. Oberl. Dr. Schröder. 2 St. Hom. Od. V bis X. Priv. Od. XI u. XII. Hr. Oberl. Raymann. 2 St. Gramm. nach Buttmann, Exerzitien und Extemporalien. W. Hr. Oberl. Gross. S. Hr. Oberl. Dr. Schröder. — Hebräisch. 1 St. Gramm. nach Gesenius, Pronomina, regelm. Konjugat. u. die Konjugat. der Verben mit Gutturalen. Lectüre in Gesenius Lesebuch. Hr. Oberl. Raymann. — Französisch. 2 St. Lectüre leichterer Gedichte von V. Hugo, Delavigne und Béranger. Le verre d'eau von Scribe. Gramm. nach Sanguin, Exerzitien. Hr. Graeser. — Religionslehre. 2 St. W. Cap. I bis 11 des Evangeliums Johannis wurde gelesen, erklärt und besprochen. Hr. Prediger Hintz. Beendigung der Lesung dieses Evangeliums, und sodann Lesung der Apost. Gesch. von C. 1 bis 9. Lieder wurden gelernt. Hr. G. L. Henske. — Mathematik. 4 St. Das Leichtere aus der allgemeinen Arithmetik, namentlich Gleichungen des 1. und 2. Grades, nach Grunerts Lehrbuch. Hr. Pror. Dr. Gützlaff. — Physik. 1 St. Abschnitt I bis IV nach Brettners Lehrbuch der Physik. Hr. Pror. Dr. Gützlaff. — Geschichte und Geographie. W. 3 St. Geschichte des Röm. Kaiserreichs von Augustus bis zum Untergang des abendländischen Reichs. Sodann Geschichte der ersten Germanischen Reiche bis um das 7te Jahrhundert. Physische Geographie von Deutschland. Hr. Prediger Hintz. S. 2 St. Zweite und dritte Periode der mittlern Gesch. nach Ellendt. Wiederholungen aus der Geographie. Hr. G. L. Reddig.

III. Tertia.

Ordinarius: Herr Oberlehrer Gross.

Deutsch. 4 St. Lehre von der Satzverbindung und von der Periode, nach Götzinger. Metrik, nach Gotthold. Lectüre in Lehmanns Lesebuch II 2. u. Borussia II. Deklamiren. Aufsätze. Hr. G. L. Reddig. — Latein. 2 St. Caes. Gall. I bis VII. 4 St. Gramm. nach Zumpt. Exerzitien, Extemporalien. Gedächtnissübungen. Hr. Oberl. Gross. 2 St. Ovid. Met. I und II mit schriftl. Uebersetzungen und metr. Uebungen. W. Hr. Dr. Kossinna. S. Hr. Oberl. Gross. — Griechisch. 2 St. Lectüre in Jacobs Lesebuch. Xen. Anab. VII und I. 2 St. Grammatik nach Buttmann. Exerzitien u. Extemporalien. Hr. Oberl. Gross. 2 St. Hom. Od. I u. II mit schriftl. Uebersetzungen und Memorirübungen. Hr. Oberl. Dr. Schröder. — Französisch. 2 St. Voltaires Charles XII l. 5 bis 8. Gramm. nach Sanguin § 1 — § 509 mit schriftl. Uebersetzung der Aufgaben. Hr. Graeser. — Religionslehre. 2 St. W. Erklärung des 2. Hauptstücks des Lutherischen Katechismus. Hr. Prediger Hintz. S. Erklärung der 3 letzten Hauptstücke. Lesung und Besprechung der Weissagungen des A. T., die sich auf das N. T. beziehn. Gelernt wurden die 5 Hauptstücke, Sprüche und Lieder (Lehmanns Gesangbuch). Hr. G. L. Henske. — Mathematik. 4 St. Die gemeine Arithmetik, nach Grunert. Hr. Pror. Dr. Gützlaff. — Naturgeschichte. 2 St. S. Botanik. Hr. Dr. Kossinna. — Geschichte und Geographie. 3 St. Römische Ceschichte. Geographie nach Voigt IV. Kartenzeichnen. W. Hr. G. L. Reddig. S. Hr. G. L. Henske.

IV. Quarta.

Ordinarius: Herr Gymnasial-Lehrer Reddig.

Deutsch. 3 St. Die Lehre vom Satz, nach Götzinger. Lectüre in Lehmanns Lesebuch II. 1 und Borussia I. Deklamiren. Aufsätze. W. Hr. G. L. Reddig. S. Hr. G. L. Henske. — Latein. 5 St. Lectüre in Ellendts Materialien, mit schriftl. Uebersetzungen. W. Hr. Dr. Kossinna. S. Hr. G. L. Reddig. 5 St. Gramm. nach Zumpt. Exerzitien und Extemporalien. W. Hr. Prediger Hintz. S. Hr. G. L. Reddig. — Griechisch. 5 St. Lectüre in Jacobs. Gramm. nach Buttmann bis zu den unregelmässigen Verben incl. Hr. G. L. Reddig. — Französisch. 2 St. Anfänge der Gramm. Uebersetzung leichter Stücke. Hr. Gräser. — Religionslehre. 2 St. W. Erklärung des 1. Hauptstücks. Hr. Prediger Hintz. S. Erklärung des 2. Hauptstücks.

